



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

II. Aliæ sententiæ referuntur, & refelluntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

minimè verò aliam, an non ab his Authoribus risu, ac sibilo etiam exciperetur?

4 Tertiò tandem idem ipsi, quorum nuper mentio facta est, nostro argumento respondent, accidentia potius, quàm formas materiales inhaerere: quia accidentia, vt tribuant suos effectus formales, non solum vniri, verumetiam educi, & materialiter causari postulant: at formæ substantiales materiales, necnon subsistentia, quiuisque modus, vt tribuant suos effectus formales, educi non flagitant, & si supernaturaliter non educerentur, eos tamen tribuerent. Assumptum autem hac inductione suadere conantur: formæ materiales sunt in eodem ordine complendi substantialiter materiam cum animo rationali: ac animus rationalis tribuit suum effectum formalem materiae, hominemque constituit, quin educatur: igitur formæ materiales, si miraculose non educerentur, vnitæ tamen suis subiectis iis suos effectus formales tribuerent. Deinde modus substantialis substantiæ ita comparatus est, vt sicut denominat naturam subsistentem; ita etiam subsistentia Verbi diuini eandem naturam subsistentem denominare possit: ac proinde ambæ subsistentiæ, creata videlicet, & increata eundem effectum formalem communem habent: at subsistentia increata humanitatem Christi denominat subsistentem, quin ab ea educatur: ergo similiter subsistentia creata à natura supernaturaliter noneducta eam tamen subsistentem denominaret. Hæc autem ratio non militat in accidentibus, cum nullum accidens nobis constet, quod suum effectum formalem absque educatione impertiat: aut à quo ad alia accidentia argumentari possumus.

5 Cæterum tota hæc ratiocinatio perplexa, atque dubiosa est: namque in primis, quantumvis anima rationalis, & forma equi, verbi gratia, sint in eodem ordine complendi substantialiter materiam, tamen vna sine materiâ naturaliter esse, & conseruari, non verò alia, potest: ergo quantumvis sint in eodem ordine, vna tamen, & non alia ad tribuendum suum effectum formalem educationem postulare poterit. Deinde sicut subsistentia creata, & increata conueniunt in eo, quod vtrique naturam creatam subsistentem denominet: ita pariter conueniunt gratia creata, & gratia increata in eo, quod naturam humanam, gratam, sanctamque depointent: at, non obstante hac posteriori conuenientia, gratia creata iuxta aduersarios, vt naturam humanam denominet gratam, sanctamque, postulat educi, vt pote accidens: cum tamen gratia increata, siue sanctitas substantialis Verbi non postulet educi ad hoc, vt naturam humanam Christi gratam, sanctamque efficiat: igitur non obstante priori illâ conuenientia subsistentia creata, vt naturam denominet subsistentem, postulare poterit educationem, esto eam subsistentia increata ad tribuendum suum effectum formalem minimè postulet. Præterea iuxta plerofque aduersarios, vnio candoris, v.g. cum pariete creari, & absque educatione produci potest: at vnio illa accidentaria nullo modoeducta suum effectum formalem tribueret, & candorem parieti, & parietem candori vnitum denominaret: ergo accidens ad tribuendum suum effectum formalem educi non postulat. Minor perspicua est, cum essentia vnionis sit denominare actum vnitum; eaque de causâ modus, & non res absoluta sit. Tandem à priori argumentor: implicat, formam vllam substantialem, aut accidentalem tribuere suum effectum formalem, quin vnatur; & quod consequens est, quin eius vnio producatur: at productio vnionis nihil aliud est, quàm actioeductiua formæ, quæ educitur, vt in Physica latè ostendimus: ergo à nulla forma substantiali, aut etiam accidentali effectus formalis tribui potest absque edu-

ctione, si solam animam rationalem excipias, cuius vnionem produci, ipsam educi non est. Ex his, quæ hætenus differuimus, constat, vulgatum illud axioma, accidentis esse, est inesse, siue inhaerere (quod ab Aristotele 1. Physicor. cap. 4. textu 39. aliisque Philosophis nostræ fidei ignaris, ortum habuit) immeritò in scholas Catholicorum à nonnullis Catholicis inuectum esse.

CAPVT II.

Alie sententia referuntur, & refelluntur.

6 Pater Hurtado disp. 10. metaphys. sect. 2. definit substantiam, prout consistit in re: quam definitionem suadet, quia sola substantia completa, vt homo, equus, lapis, &c. vulgo, & absolute res appellatur: at quod est de constitutiuo substantia completa, substantia est, cum substantia non nisi ex solis substantiis componatur: igitur quod est de constitutiuo rei, substantia censenda est. Maior probatur: nam si quis amat equum frigidum, (& vt aiunt) otio congelatum: si postea eiusmodi equus cursu incalascit, non dicitur aliam rem habere, sed eandem, quam emit: igitur equus secundum se, eiusque substantia completa solummodo res dici consuevit, calidum verò & frigidum non res, sed accidentia rei. Deinde interroganti quid est hoc, siue quæ res sit hoc, quod decernitur, non rectè responderetur, est album, aut frigidum, paruum, aut magnum: sed responderi debet, est homo, vel equus, aliave substantia completa: quod si interrogatur, quale aut quantum sit aliquid, tunc equidem esse album, vel frigidum, magnum, vel paruum referri potest, ac debet: ergo, &c. Porro autem substantia, prout à completa, & incompleta abstrahit, iuxta hunc auctorem erit conceptus quidditatus rei: substantia enim completa sibi ipsi, quæ sola res est, quidditativa est: substantia etiam incompleta complete quidditativa est, cum eam essentialiter constituat.

7 Impugnatur tamen hæc sententia. Primò, quia non solas substantias completas, verumetiam accidentia res absolute dici solere, ex sacris, & profanis literis perspicue constat: cum enim Paulus ad Hebræos c. 11. fidem definit in hæc verba: *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum*, proculdubio nomine rerum subaudiuntur dona gratiæ, & gloriæ: quæ quidem accidentia sunt. Rursus quod habetur apud Cicero-nem 3. de Oratore, *sine re nulla vis verbi est*, cui concinit Horatius in arte Poëtica.

Verbaque præuisam rem non inuita sequuntur.

Hæc, inquam, indicant rem esse quiddid per vocem significatur: cum tamen non solum substantia, verumetiam accidens vocibus significetur. Parco aliis id genus testimoniis, ne, cum necesse non est, copiam sectari videar. Impugnatur eadem sententia secundò: quia si equus ab aliquo emptus aliquantulum augeatur substantialiter per nutritionem, vel sine auctione nouas partes substantiales admittat, ac totidem per diminutionem amittat, certè non dicitur aliam rem ab ea, quam emit, habere: & tamen hinc minimè colligitur, partes illas denuo acquisitas substantiales non esse, sed potius accidentia: ergo ex eo, quod mutatis accidentibus interdum non dicatur mutari res, aut alia res esse, perperam colligunt aduersarij accidentis à substantia discrimen. Impugnatur ea sententia tertiò: quia rogatus aliquis quid emerit, siue quam rem pretio compararit, illico

illico respondere solet, emisse se statuam, pallium, gladium, arthropem, aliudve ens per accidens: perperam igitur philosophantur aduersarij, cum nomine rerum sola entia substantialia venire existimant. Quarto demum: quia oportuisset rationem aliquam reddi, cur sola substantia res vulgo appelleretur, ut eam solam ita appellati gratis supponamus.

8 Alij docent, substantiam esse primam radicem essendi, vel precipuam radicem operandi, & hanc definitionem nulli substantiæ non conuenire, nullique accidenti conuenire censent: siquidē si de substantiis immaterialibus, ac simplicibus sermo sit, natura Angelica est non solum prima radix essendi, quaque nihil prius in Angelo habet esse, verum etiam precipua radix operandi, quaque nihil in Angelo præstantius est; accidentia autem Angelica ordine naturæ, & ordine dignitatis eius substantia posteriora sunt. Deinde si de substantiis compositis sermo sit, materia prima est prima radix essendi, quaque nihil in composito prius habet esse: forma verò etsi non sit prima radix essendi, aut fortè etiam operandi, nec nisi post materiam sit, & operetur; cæterum est precipua radix operandi, quaque nihil præstantius est in composito: accidentia verò compositis nihil horum habent. Hanc sententiam alij hoc modo, alij aliis multis proponunt: cum tamen omnes paruo interstitio differant, non est, cur sigillatim referantur, aut reiciantur.

9 In primis igitur displicet proposita sententia: quia substantiam in communi per eius species, ac partes subiectiuas definit: haud secus ac si quis animal definitur rationale, vel irrationale. Secundo, quia iuxta hanc sententiam vnio substantia non foret: siquidem non est prima radix essendi, cum materiam existentem ordine naturæ supponat: nec etiam est precipua radix operandi, cum forma imperfectior sit. Quod verò sit conditio sine qua forma non operaretur, parum refert: namque approximatō localis, calor, & alia accidentia rationem conditionis respectu formæ operaturæ sibi vendicant, quin tamen ad conditionem substantiæ assurgant. Tertiò, quia eadem ratione substantia (quam aduersarij quid completum censent) non esset substantia, cum nec sit prima radix essendi, utpote naturæ superaddita, nec precipua radix operandi, utpote formæ, aut certè tota natura imperfectior. Tandem, quia probabile est, materiam aliquam esse magis perfectam eâ formâ substantiali, quam suscipit: at in composito ex eiusmodi materiâ, & formâ, nec forma esset prima radix essendi, nec etiam precipua radix operandi: siquidem posterius, quàm materia existeret, & perfectius quàm illa existeret, ac etiam operaretur, cum tamen substantia procudubio futura esset.

10 Demum alij censent, substantiam in eo consistere, ac differre ab accidenti, quod sit finis cæterorum, quæ in ente completo reperiuntur: quasi vero accidentia non essent finis *qui* substantiæ, sicut substantia est finis *cui* accidentium: aut quasi esse non esset propter operari: ac per consequens propter accidentia, per quæ res est operatur: haud aliter ac operationes, & accidentia sunt propter esse substantiale rei, eiusque perficiendæ gratia. Quod si substantiam non per finem qualemunque, sed per finem *cui* Auctores hi definiunt, velim, mihi respondeant: cur homo potius sit finis *cui* accidentium, & non è contratio. Certè non alia ratione, nisi quia homo est persona illa, vel substantia completa, cui accidentia intenduntur: hæc verò sunt bona illa, quæ illi intenduntur: iam ergo substantia per finem *cui*, & finis *cui* per substantiam vitioſo circulo explicatur, ac tota res inexplicata, & confusa remanet.

R.P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

CAPVT III.

Nostri sententia proponitur.

11 **A**Rbitror substantiam, prout ab accidenti distinctam, eam esse, quæ habet esse completum distinctum realiter ab omni collectione rerum, partiumve realiter distinctarum; aut id, quod eiusmodi esse constituit, siue componit. Probatur primò, quia ens per accidens dicitur illud, quod in collectione rerum realiter distinctum consistit, album, verbi gratia, in pariete, & candore, & congeries lapidum in lapidibus ipsis prope se positis, & cumularis: igitur ens per se, quod distinguitur contra ens per accidens, rectè dicitur id, quod in eiusmodi collectione formaliter non consistit: cum ergo substantia omnium consensu sit ens per se, rectè à nobis sicuti nuper definita est. Secundo, quia nulla est substantia, cui data definitio incongrua sit, & nullum accidens, cui congruat: ergo, &c. Prius quidem suadetur: quia quod ad substantias simplices, & incorporeas attinet, essentia Angelica, quæ sola in Angelo substantia est, fortitur esse completum ab omni aggregatione partium distinctum, eo quod Angelus omnis compositionis essentialis, aut etiam integralis expers sit. Quod verò ad substantias materiales, & compositas attinet, totum ipsum per se homo, v.g. aut equus habet sum esse completum realiter distinctum à collectione partium, ut in Physica lib. 2. tract. 9. cap. 1. ostensum est. Deinde materia, forma, & vnio eiusmodi totum essentialiter, & quidditatiuè constituunt: at præter materiam, formam, & vnionem, ac totum per se ex his resiliens, nulla substantia in ente materiali completo reperitur. Posterius verò suadetur: quia vel sermo est de accidenti in concreto de albo, v.g. & huiusmodi accidens, etsi habeat esse completum, tamen illud à collectione rerum realiter distinctarum minimè distinguitur: vel sermo est de accidenti in abstracto de albedine, v.g. & huiusmodi accidens non habet esse completum, nec constituit esse completum, de quo in d. finitione loquimur.

12 Tertiò, quia substantia dici solet, ac debet id, quod subsistit: at iuxta nostram definitionem rectè intelligitur, substantiam esse omne, & solum id, quod subsistit, siue suppositur: ergo, &c. Minor perspicua est, quia vel sermo est de ipso esse completo realiter distincto à quavis pluralitate: & huiusmodi esse, siue ex partibus resultet, siue partium expers sit, substantia, siue suppositum est, ut inferius exponemus: ac proinde non in alio, sed in se subsistit: vel sermo est de partibus, quibus eiusmodi esse completum coalescit, videlicet materia, & forma unitis: & hæc in toto, ac per totum subsistunt: at præter esse completum, & partes, ex quibus interdum resultat, nulla est substantia: ergo omne id, quod est substantia iuxta præfatam definitionem subsistit: quodcumque verò accidens est, & non substantia, nescio quatenus iuxta eam subsistere possit, cum nec sit esse completum, in quo suppositum, siue substantia collocatur, nec illud constituat. Maior verò facile suadetur ex Augustino 7. de Trinitate, cap. 4. ibi: *Sicut ab eo, quod est esse, appellatur essentia: ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus.* Et ex Isidoro lib. 1. differentiar. capite 4. ibi: *Substantia est id, quod non ab alio, semper ex se est: id est, quod propria in se virtute subsistit.* Id ipsum docent Ariminensis in 4. distinctione 8. quæstione 3. Suarez disputatione 33. metaphysica sect. 1. Collegium Conimbr. 1. p. Logica c. 5. quæst. 1. art. 2. & alij communiter. Idcirco autem sub-